

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

35. Aquae vitiae restisicata Lulli

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

Auri calcinati cum mercurio vulgi & sale, & tandem cum sulphure, quæ est excellens quoddam Aurum potabile.

Aliquando sola cobobatione (absque omni imbibitione) hæc præparavere menstrua; sit pro Exemplo

35. Aqua vitæ rectificata Lullii, *In Potestate Divitiarum.*

℞. **V**inum, separa spiritum cautè, quanto citiùs & puriùs poteris, quia nunquam ita cautè ipsum separabis, quin aliquam in se partem contineat purioris substantiæ phlegmaticæ, id est, aqueitatis. Ilte spiritus semel separatus vocatur *Mercurius*, id est, aqua ardens, cujus signum est, quod si intinxeris in eo pannum lineum, inflammabitur (si accendatur priùs) & non comburetur, si verò pluries separaveris (rectificaveris) vocatur *Lunaria rectificata*, id est, aqua ardens rectificata, cujus signum est, quod pannus lineus tinctus in ea totaliter comburatur. Separa jam totum phlegma superfluum, donec nihil penitus remaneat, & remanebit inferiùs pix in olla. Tunc Lunariam, id est aquam ardentem rectificatam commisce cum illa substantia, facta sicut pix mollis, bene movendo donec incorporetur, & pone ad destillandum, & quod egreditur, vocatur *sanguis humanus rectificatus*, quem quæerunt Alchymistæ; item vocatur iste sanguis *Aër* vel *Ventus*, & de hac re loquutus est Philosophus cum dixit: Portavit illum Ventus in ventre suo. A residuo, destillando separa oleum superfluum (*vegetabile superiùs dictum*) per alembicum vitreum, donec nihil remaneat, quod oleum ad partem serva, quousque tibi dixerò. Residuum verò erit substantia nigra & sicca, quam pulverisa subtiliter, & cum sanguine humano rectificato misce per minima, & dimitte stare simul per spatium trium horarum, & postea destilla, & tunc hæc aqua vocatur *Aqua ignea rectificata*. Tunc caput mortuum calcina in furno reverberationis, donec efficiatur sicut calx, & calcem hanc misce cum aqua ignea rectificata, & destilla septem vicibus, & tunc vocatur *Aqua vitæ rectificata*.

Idem menstruum habent Paracelsus libro de Elixire Vitæ, &

Au

Author Appendicis Volum. tertii Theat. Chym. Menstrua hæc à supradictis ex sale harmoniaco confectis non differunt nisi præparatione, in illis tota terra vini phil. spiritu proprio redigitur in liquidam substantiam, quâ idem perfcitur opus, sed alio modo. Huc referrî debet menstruum Guidonis, quod ita componitur.

36. Circulatum minus Guidonis, In Thesauro chymiatrico.

Re. **S**piritûs vini (*phil.*) libram unam, salis vini (*ejusdem*) uncias quatuor, misce, juncturis bene clausis destilla per alembicum in balneo, destillatum reafunde & cohoba quater, & erit præparatum. *Lullius salia sua harmoniaca cum difficultate quadam redigit in liquidam substantiam, at Guido sal vini phil. quatuor cohobationibus destillat in idem menstruum. Abbreuiationis causa quærenda est in præparatione istius salis; quæ duplex est, communis vel secreta: De communi ita Guido; Destillato vini spiritu ardente, abstrahe phlegma, donec materia in mellis tenuioris substantia remaneat, quæ in cella frigida dabit cristallos nitro similes, quæ dicuntur sal vini, quas exiime & serua, residuum evapora parumper, & accipies plures, &c.*

De secreta autem huius salis confectioe ipse etiam Guido pag. 8. Thef. Re. Salis vini & spiritus vini ana uncias quatuor, digere per octo vel decem dies, abstrahe leniter in balneo, & ascendet tantum phlegma, & habebis salis Vini uncias sex, cui sali iterum adde ana spiritus sui, iterumque digere per decem dies, & abstrahe phlegma, sali remanenti affunde novum spiritum, & procede ut supra, & ita augmentabis sal vini juxta placitum. Hæc posterior salis Vini confectio, non solummodo sui ipsius multiplicatio est, & tam quantitatis, quàm qualitatis additio, sed insuper etiam est sui ipsius volatilisatio. Non mirum ergò est, quod sal, cujus medietas erat vini phil. spiritus, tam facile ascendat cum eodem spiritu. Observandum est tamen quàm maxime, ne nimia unctuositatis additione nimium temperemus salis vini ariditatem, & loco menstrui huius generis consiciamus debilius aliquid secundi generis. Quod